

Cap. XXVIII. Rubrica de divisione bonorum
inter fratres et sorores. R.ca.

Quandocunque aliqui fratres vel sorores essent, qui vel
que haberent inter se bona fixa pro indiviso¹⁾ et con-
cordare non possent de divisione fienda inter ipsos, volumus 5
et ordinamus quod accipere debeant duos suos propinquos,
qui facere debeant divisionem inter ipsos de dictis bonis, et
facta divisione quilibet accipiat partem suam ipsorum bono-
rum per sortem.

Cap. XXX. Rubrica de pupillis et adultis. R.ca. 10

Ratificamus²⁾ statuendo quod, si vir vel mulier viduaverit
et decesserit relictis filiis vel filiabus a septem annis
inferius, mortuis ambobus parentibus, remaneat in discretione
dominii ad faciendum eisdem pupillis providere usque ad ter-
minum septem annorum, si querella pervenerit ad dominium; 15
et si quis minor etatis secundum formam statuti fuerit sub
tutella alicuius persone, et propinqui vellent eum vel eam ma-
ritare, si ille sub cuius tutela fuerit resisteret nolens eum vel
eam maritare, et querella pervenerit ad dominium, sit in liber-
tate domini de maritando eum vel eam; et quilibet tutor vel 20
propinquus datus per dominium, sub cuius potestate et guber-
natione fuerit aliquis pupillus vel minor, tenere debeat bona
212 B eiusdem // minoris in plenum, et servare et ponere debeat pro
ante parte pupillo vel minori omnes redditus suorum bono-
rum, detractis expensis factis tam ipsi minori quam in pos- 25
sessionibus et usufructibus eiusdem, remanendo in discretione
dominii de providendo talibus tutoribus vel propinquis de
eorum vel eius labore. ¶ Salvo quod, si aliquis ex propinquis
ipsius minoris usque ad tertium gradum aliquid antepone-
re voluerit in utilitate ipsius pupilli vel minoris, tunc incantari 30
debeat talis pupillus vel minor cum omnibus bonis suis, citatis
propinquioribus suis agnatis et cognatis, et qui maiorem uti-

¹⁾ indivisa. ²⁾ ratificamus.